

siori muniretur facile periret 2. Est animali cadenti aut cubanti instar substerniculi & operimenti, ne durius collidatur; hinc caro dicitur insensibilis & per se. 3. In certis membris & situ locorum peculiarem obtinet usum, ut in divisione sequenti videre est.

c. Gal. lib. ar. med. c. 9. b. & c. 83. h. & lib. 2. art. cur. ad Glau. c. 2. b.

## THEOREMA XII.

Tres autem in primis ab anatomicis partes carnis enumeratas habemus, musculorum, membranarum & viscerum.

1. Musculorum d. caro simplex dicitur eò quod propriissime carnis naturam habeat, tota enim sanguine madet, quo plurimo perfunditur, unde & suam originem traxisse perhibetur, multis intertexta est fibris ideò quod maximum habet usum in motu voluntario: omne enim membrum quod de loco in locum moveri debet musculis tanquam immediatis motus voluntarii principii opus habet. Quatuor autem differentie motus musculorum à Galeno ponuntur, contractio, extensio, decidua & motus tonicus, seu contractionis conservatio. Differentie musculorū sunt plurimae, e à substantia, à quātitate, à figura, à situ, à villis & ortu, ab insertione &c. petita, precipua est quae à motu desumitur. Hinc musculorū alij flexores, alij tensores, levatores alij, alij depressores, alij adductores, alij abductores, alij rotatores alij circumductores, alij masseteres seu mansorii, alij cremasteres seu suspensorii, alij sphincteres seu constringentes appellantur. Musculi ab aliis aliter, à Laurentio commemorantur 2. frontis. 6. palpebrarum, 12. oculorum. 6. aurium, 2. narium, 9. labiorum, 10. maxillae inferioris, 8. hyoidis, 10. linguae, 8. faucium, 14. laryngis, 14. capitis, 8. cervicis, 8. scapularum, 16. brachiorum, 8. cubiti, 8. radii, 8. carpi, 54. manuum, 65. respirationis, 10. abdominis, 10. f. dorsi, 4. ani, 1. vesicae, 2. testium, 4. penis, 28. crurum, 22. tibiaram, 12. pedis, 21. digitorum.

d. Fernel. lib. 1. de partib. corp. c. 14. & lib. 4. de spiritu innato. c. 5. Laurent. libr. 1. c. 20. & quaestione 5. & Columb. lib. 5. de Muscul. e. Laurent. lib. 5. de muscul. c. 9.

2. Est quam nonnulli membranarum vocant, haec peculiaris est naturae, plus enim de membrana videtur participare, quam carne reliqua, differt tamen à membranis exinde, quod habet filamenta nec tantam siccitatem, quantam membranae requirunt, obtinet: Et est in ventriculo, intestinis, Oesophago, utero & vesica, in his enim membris sunt filamenta, ex quibus constituuntur.

f. Columb. lib. 1. de os. fib. c. 19.

3. Est caro viscerum, quam graeci παρέγχυμα appellant, latini assusum seu interfusum, eò quod ex sanguine affuso nascatur, haec enim non ex

B 3

sanguini-